



# PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIAE

## LIBER X.



Nno insequente inito hostes Verona egres-  
si, ut in pagos plerosque qui exercitum  
reipublicæ receperant, rebusque omnibus  
juverant, iracundiam exercerent suam,  
atque inde pabuli copiam aliquam in  
oppidum importarent, cum quinque mil-  
lia passuum processissent, ad Aquæ Mar-  
tinianæ pontem substiterunt, ut nostris, qui re per explo-  
ratores cognita ad illos repellendos contendebant, flumi-  
nis transitum impedirent. Erat autem præmissus ad eam  
rem ab imperatore legatisque Leonardus Apulus cum ex-  
peditis militibus & equitibus quamplurimis. is ubi pugna  
ante pontem magno animo commissæ, tamen trajicere ho-  
stibus, ut se priores in ponte constipaverant, angustias de-  
fendentibus se non posse vidit, equites Epirotas triginta  
ad superiorem fluminis partem longo circuitu, ne ab ho-  
stibus

1510  
*Cesariano-  
rum pugna  
cum Venetis  
ad Aquæ  
Martinia-  
næ pontem  
XIX. kal.  
febr.*